

# TRADUÇÃO

## QUID SIT IDEA \*

G. W. LEIBNIZ

**A**nte omnia IDEÆ nomine intelligimus *aliquid, quod in mente nostra est*, vestigia ergo impressa cerebro non sunt ideæ, pro certo enim sumo Mentem aliud esse quam cerebrum aut subtiliorem substantiæ cerebri partem.

Multa autem sunt in mente nostra, exempli causa, cogitationes, perceptiones, affectus, quæ agnoscimus non esse ideas, etsi sine ideis non fiant. Idea enim nobis *non in quodam cogitandi actu, sed facultate consistit*, et ideam rei habere dicimur, etsi de ea non cogitemus, modo data occasione de ea cogitare possimus.

Est tamen et in hoc difficultas quædam, habemus enim facultatem remotam cogitandi de omnibus, etiam quorum ideas forte non habemus, quia facultatem habemus eas recipiendi. Idea ergo postulat *propinquam quandam cogitandi de re facultatem, sive facilitatem*.

Sed ne hoc quidem sufficit, nam qui methodum habet quam si sequatur ad rem pervenire possit, non ideo habet ejus ideam. Ut si ordine enumerem Coni sectiones, certum est me venturum in cognitionem Hyperbolarum oppositarum, quamvis nondum earum ideam habeam. Necesse est ergo esse aliquid in me, *quod non tantum ad rem ducat, sed etiam eam exprimat*.

*Exprimere* aliquam rem dicitur illud in quo habentur habitudines, quæ habitudinibus rei exprimendæ respondent. Sed eæ expressiones variæ sunt; exempli causa modulus Machinæ exprimit machinam ipsam, scenographica rei in plano delineatio exprimit solidum, oratio exprimit cogitationes et veritates; characteres exprimunt numeros, æquatio Algebraica exprimit circulum aliamve figuram; et, quod expressionibus istis commune est, ex sola contemplatione habitudinum exprimentis, possumus venire in cognitionem proprietatum respondentium rei exprimendæ. Unde patet non esse necessarium ut id quod exprimit simile sit rei expressæ, modo habitudinum quædam analogia servetur.

Patet etiam expressiones alias fundamentum habere in natura, alias vero saltem ex parte fundari in arbitrio ut sunt expressiones quæ fiunt per voces aut characteres. Quæ in natura fundantur, eæ vel similitudinem aliquam postulant, qualis est inter circulum magnum et parvum, vel inter regionem et regionis tabulam geographicam; vel certe connexionem qualis est inter circulum et ellipsin quæ eum optice repræsentat, quodlibet enim punctum ellipseos secundum certam quandam legem alicui puncto circuli respondet. Imo circulus per aliam figuram similiorem in tali casu male repræsentaretur. Similiter omnis effectus integer, repræsentat causam plenam, possum enim semper

---

\* Encontrado em Leibniz, *Sämtliche Schriften und Briefe*, Sechste Reihe: *Philosophische Schriften*, Vierter Band, Teil B. Berlim: Akademie Verlag, 1999, pp. 1369-1371.

ex cognitione talis effectus devenire in cognitionem suæ causæ. Ita facta cujusque repræsentant ejus animum, et Mundus ipse quodammodo repræsentat Deum; fieri etiam potest ut ea ses mutuo exprimant quæ oriuntur av eadem causa, exempli causa gestus et sermo. Ita surdi quidam loquentes non ex sono, sed ex motu oris intelligunt.

Ideam itaque rerum in novis esse, nihil aliud est, quam Deum autorem partier et rerum et mentis eam menti facultatem cogitandi impressisse, ut ex suis operationibus ea ducere possit quæ perfecte respondeant his quæ sequuntur ex rebus. Etsi itaque idea circuli non sit circulo similis, tamen ex ea veritates duci possunt, quas in vero circulo experientia haud dubie esset confirmatura.

